



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 149. Petrus Gondius Cardinalis hoc anno defunctus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Catinarios. IV. Petrus Camporeus, Sæc. XVII.
 Mutinensis Presbyter Cardinalis tit. S. A. C. 1616.
 Thomæ in Parione. V. Matthæus Pri-
 lus patria Venetus Presbyter Cardina-
 lis primum tit. S. Hieronymi Illyrico-
 rum, postea S. Marci. VI. Scipio Co-
 bellutius Viterbiensis, Cardinalis San-
 ctæ Sabinæ dictus.

§. CXLIX.

*Petrus Gondius Cardinalis hoc an-
 no defunctus.*

Quatuor vicissim Cardinales hoc an- Ciacon. vit.
 no decessere, ex quibus prior oc- Sixti V.
 currit Petrus Gondius Juniacensis, an-
 no a partu Virginis millesimo quingen-
 tesimo trigesimo secundo Lugduni na-
 tus, qui tam excellenti præpollebat in-
 genio, ut Philosophiæ & jurispruden-
 tiæ præstantia, aliisque dignitatum
 honoribus ac meritis non tam a patria
 sua vel stemmatis nobilitate decus mu-
 tuare, quam augere videretur. Hic
 in Caroli IX. Galliarum Regis aula non
 politicis artibus Aulicum, sed omnibus
 numeris absolutum Præfulem agebat,
 ac Lingonensi Ecclesiæ, & postea Pa-
 risiensi præfectus, utriusque gregis Pa-
 storem vigilantissimum, utrique etiam
 urbi Patrem sese exhibebat amantissi-
 mum, ubique relictis pietatis suæ, ze-
 lique

Sæc. XVII. lique vestigiis. Variis augebatur Sa-
 A. C. 1616. cerdotiis, quorum tamen proventus
 ferme omnes ad pauperum levamen,
 & Ecclesiarum ornamentum impende-
 rat: Ab Henrico III. Galliarum Rege
 ad Pium V. Orator ablegatus, oblatam
 recusabat Purpuram, quam nonnisi ab-
 sens, atque invitus urgente eodem Re-
 ge a Sixto V. acceptabat. Postea ad
 Clementem VIII. iterum decretus, pro
 absolutione Henrici IV. Regis obtinen-
 da non minus erga Regem studium,
 quam Religionis ardorem præsetulit:
 Maduani quoque animum ad Regis
 partem revocans, in obsidione Parisiensi
 pauperes fame ferme enectos pecunia
 sublevabat, edito decreto, ut donaria
 aurea vel argentea Templorum vendi-
 ta in ipsorum commodum verterentur,
 quin ea Henrico III. & IV. in belli ex-
 pensas erogari pateretur, sed propria
 potius pecunia utrique Regi satisfacit
 ad centum & quadraginta librarum mil-
 lia Turonensium diversis temporibus
 suppeditata: Adeo pacis studiosus erat,
 ut triginta omnino annos ne quidem
 unico verbo Capitulum Parisiense læ-
 deret, quamvis Ecclesiasticæ discipli-
 næ rigidus cultor, suæque jurisdictionis
 tenax defensor esset, & intrepida
 dicendi libertate polleret. Obiit Pari-
 siis

fiis annos natus octoginta quatuor die Sæc. XVII.
decima septima Februarii. A. C. 1616.

§. CL.

Pompeii Arigonii Cardinalis obitus.

Hunc pari fato sequebatur Pompejus Ciacon. in
Arigonius, patria Romanus, qui vit. Cle. VIII.
Perusia primum, tum Bononiæ, mox Ughell. in
Patavii Civilis, Pontificiique Juris stu- add. ad Cia-
dia amplexatus, ibidemque virtute, con.
morumque elegancia diu versatus, ut-
riusque Juris Doctor renuntiabatur.
Postea Consistorialis Aulæ Advocatus,
atque a Gregorio XIV. Apostolici Pa-
latii Auditor nominatus, tandem a Cle-
mente VIII. Cardinalis Diaconus variis
Congregationibus, necnon Comitibus
Clericorum Regularium Romæ habitis
præfuit. Demum vero a Paulo V. Be-
neventanus Archipræsul institutus, Ec-
clesiam illam, necnon alia Xenodochia,
& monasteria variis beneficiis, ac redi-
tibus munificentissime auxit. Tandem
in Neapolitano suburbio, quo sanioris
aeris causa concesserat, die quarta Apri-
lis anno ætatis suæ sexagesimo quarto
pie in Domino obdormivit. Corpus
ejus Beneventum translatum ibidem
in Metropolitana Ecclesia quiescit.

§. CLL.